

Fredericus divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Si grati vicem servitii pro tempore recepturi clementer annuimus desideriis subiectorum, longe commodius ibi dona reponimus, ubi eadem felici commercio commotata devotionis in nobis meritum eterna feneratione multiplicant et ipsa multiplicata gratius in cumulum sui refunduntur auctoris. Inde est, quod cum tu, Matthee venerabilis abbas Floris fidelis noster, ad presentiam nostram accederes^{a)} humiliter supplicasti, ut tibi et monasterio tuo confirmaremus libertates, quas Stephanus comes Cotroni monasterio Floris in omni terra sua concessit. Nos autem supplicationes tuas benignius admittentes honestatis et^{b)} religionis intuitu et devotionis respectu, quam tu et fratres tui ad excellentiam nostram semper habuistis, divine etiam pietatis optentu et pro animarum remedio parentum nostrorum dive memorie libertates, quas predictus comes vobis in terra sua concessit, sicut in instrumento, quod inde vobis fieri fecit, continetur, de gratia nostra vobis et monasterio vestro perpetuo confirmamus, videlicet, ut libere vendere et emere per totam terram ipsius comitis, quandocumque volueritis, valeatis; et in mari, quod ipsius terre adiacet, libere habere vascella tam ad piscandum quam ad honera^{c)} deferenda et libere facere molendina et fullas per omnes flumarias terre eius et habere et libera pascua pro universis animalibus vestris in omni terra ipsius; et ingressum semper in omni terra eius habere liberum et egressum aliqua prohibitione aliquando vobis in aliquo non obstante; et ut homines terre sue res, que non sunt de feudo vel servitiis obbligate, vendere et donare vobis valeant et legare et vestras emere, recipere et habere libere omni tempore valeatis; et quiete et pacifice uti omnibus, que in instrumento, quod idem comes inde vobis fieri fecit, continentur. De abundantiori insuper munificentia nostra confirmamus in perpetuum monasterio Floris et filie abbacie ipsius, que^{d)} nunc Aquaviva^{d)}, quondam Monacaria dicta est, tenimentum in insula Cotroni, quod Fontana Murata dicitur et a memorato comite Stephano duobus ipsis monasteriis simul et pariter est concessum, sicut in instrumento inde confecto plenius continetur. Ad huius autem nostre confirmationis memoriam et robur omni tempore valiturum presens privilegium per manus Benedicti notarii et fidelis nostri scribi et maiestatis nostre sigillo iussimus roborari, anno, mense et indictione subscriptis.

IV. a) *danach wohl et zu ergänzen*
– *Aqua übergeschrieben M.*

b) et *verh. aus ac M*

c) *M*

d) *que*